



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De iudicijs. Consilium LXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

amplius ex delegatione consequitur non pro suo imperio agit & exerceat; sed pro eo, cuius mandato agit, *l. Esi prator d. tu.* Iam verò certissimum est, nec ullam dubitationem habet, quod quamvis Papæ superioritas in exemptos maxima sit, omnemque gradum superioritatis excedat, tanta tamen non est, quin accumulative saltem iurisdicção primaria quoad cognitiones causarum & delictorum coërtiones maneat apud Collegium exemptorum: *†* ita quod quemadmodum in inferioribus Prelatis alius superior iurisdicção inferioris se intromittere non solet, nisi datâ negligentia illius, *Felin. in d. c. Irrefragabili*, ita quoque ex ordinaria potestate Pontifex inferiorum iurisdiccionem non occupet, nisi ad supplendam negligentiam eius, cui primo loco competit iurisdicção. Et ut par sit & æqualis, non gradualis seu subalterna potestas; simultanea tamen intelligi non potest, sed ita accipi, ut præventioni locus sit. *†* Sicut generaliter observatur, quoties duobus æquè principaliter, sed non conjunctim in easdem personas competit iurisdicção; qui in exequendo iure, & administranda iustitia prior est, & alium prævenit, potior sit, *c. Vi debitus De appellat. c. 3. de offic. iud. ordin. Felin. in d. c. Irrefragabili. in princ. vers. declarata prædicta.* Atque ita cum non tantum nulla omnino negligentia Dominorum de Capitulo argui possit, *Paulus Parisius consil. 34. Circa resolutionem, nn. 45. vol. 4.* nec aliqua præcesserit Reverendissimi Domini monitio, quæ in huiusmodi calibus requiri solet, *Bart. consil. 102. Charissime domine vol. 1.* Sed ex adverso ex tempore & rebus ipsis constet de eorum in præveniendâ summa diligentia per præparatoriam informationem, ac delinquentis apprehensionem, ordinariumque adversus eum institutum processum; non satis iustâ ratione moveri videntur, qui Reverendissimo Domino authores sunt ad tam rigorosum citatorium emittendum: cum, ut diximus, hæc delegatio eo tantum loco constituat ipsius Gratiam, quo ipse Pontifex est; apud quem præcudubio iurisdicção Capituli facta æcta semper manet: ut absurdum planè foret illam deteriore loco constitui apud Reverendissimum Dominum Episcopum hac in parte iure delegationis Sedem Apostolicam representantem. Quinimò tentari etiam posset, delegationis huiusmodi usum adhuc strictiorem esse, tantumque pertinere (ut etiam habent verba Bullæ) ad clericos sæculares particulares, hoc est, in nullo collegio residentes, sed à loco suæ residentie absentes; quemadmodum paulò post apertioribus verbis subiicitur de monachis non in universum, sed extra monasteria sua degentibus. Verum ad rei propositæ decisionem scrupulosior hæc indagatio non est necessaria.

Consulto itaque fecerint Domini dictæ Collegiæ Ecclesiæ Zurichensis, si ad evitandos majores motus, qui Ecclesiasticis viris parum conveniunt, has rationes Reverendissimo Domino commonstrent, & bonâ gratiâ exitum dicti citatorii, perseverantiamque in eo deprecantur: nihil enim dubitamus Reverendissimam suam Gratiam iuri & æquitati sese conformaturam; si nihil eâ viâ impetrabunt, non deerit ratio, quâ in iure audien-

De iudicijs.

S. V. M. M. A. R. I. V. M.

1. Iurisdicção ordinaria contra exemptos.
2. Privilegium exemptionis Cleri secundarij Leodiensis à iurisdicção ordinaria.
3. Clausula ex certa scientia potestas.
4. Dismembratio Ecclesiarum sit sine amissione Privilegij cuiusque iudicij.
5. Exemptioni an sit derogatum per Conc. Trident.
6. Exemptio non tantum est personarum, sed etiam rerum.
7. Arresti ius ex consuetudine vel privilegio.
8. Causa iudicio sita non tollit exceptionem declinatoriam.

CONSILIVM LXIV.

MIRVM est, cur cum tam aperta & notoria sint privilegia secundariorum Collegiarum Ecclesiarum Leodiensis diocesis, quoad exemptionem à quacumque iurisdicção Ordinarij sive Archiepiscopi, sive Episcopi, in cuiuscumque generis causis, & usus huius consistorij id amplissime demonstrat; in hac causa, ad quam per viam arresti in ius, coram Venerabili Domino Officiali Mechliniensis, ad instantiam Domini Ioannis Grauwels, ejusque litris consortium vocati sunt Dominus Ioannes Ransf, ejusque consortes Canonici Collegiæ Ecclesiæ S. Germani Thenensis, huius causæ Opponentes, Advocatus arrestantium Actorum tantopere obnitatur exceptioni declinatoriæ, quam Opponentes adversus Domini Officialis iurisdiccionem proposuerunt ex dictis privilegijs Apostolicis; quibus inter cætera continetur (uti ex eorundem privilegiorum iusto exemplo seu copia constat) non hoc tantum in genere, quod dicta Ecclesia, & earum supposita sint ab omni superioritate & iurisdicção Episcopi Leodiensis, nec non quorumcumque aliorum Archiepiscoporum & Episcoporum, Vicariorum, Officialium, & aliorum ordinariarum iudicum, libera, & Sedi Apostolica immediate subiecta; sed insuper in specie, quod nemo prædictorum in huiusmodi supposita aliquam iurisdiccionem exercere valeat, etiam ratione delicti, contractus, vel rei de qua ageretur.

Cujus quidem privilegij substantia non tantum consistit in nudo usu consuetudinis aut illius repetitione, ut Advocatus partis adverse allegat; sed in speciali etiam Sedis Apostolicæ nova concessione: ita quod substantia huius privilegij & exemptionis iurisdiccionis consistat in duobus: in inveterata consuetudine, quam Pontifex per dictas literas confirmat; & in novo privilegio Pontificio: quorum alterum sufficere potest ad exemptionem ab ordinaria iurisdicção, & acquisitionem propriæ, *c. Auditis. c. Cum ex officio. c. Cum olim de præscripto. c. Cum contingat de foro compet. & ibi gloss. c. Cum capella de privileg. Alex. consil. 240. Perspectus vol. 6.* Vnde non est hoc privilegium tantum habendum pro nuda innovatione, vel conservatione antiqui privilegij; quæ non solet aliquid juris per se tribuere, *c. Cum dilecta de confirm. iuris vel mut. c. Quia intentio de privileg. c. Quia diversitatem & ibi gl. & DD. de concess. præbend. sed pro formali confirmatione, &*

quate-

quatenus opus est novâ concessione, ut teneat ipsarum litterarum demonstrationem, & quæ addita clausula, ex certa scientia, cuius vis & potestas tanta est, ut per se, nullâ etiam factâ mentione novæ concessionis, qui sic confirmat, non tantum confirmare, sed etiam dare intelligatur, si dandi aut concedendi ab initio seu de novo, facultatem habet cap. pen. & ibi Panem. ut. num. 5. De confirm. vtili vel mut. nam inducit præsumptionem plenitudinis potestatis, & effectum derogationis omnium, quæ in contrarium militant. And. Gail. pract. obser. lib. 2. obs. 56. nu. 14. Vtique adeo ut etiam si confirmatum esset nullum vel invalidum, validaretur per huiusmodi potestatem habentis confirmationem, cui addita est clausula, Ex certa scientia. Car. Molin. ad consuet. Paris. §. 5. nu. 69. ut. 1. multo magis cum ultra confirmationem adijcitur nova concessio, ut in litteris dicti privilegij conspicitur.

Cum igitur dubium nullum sit, quin summus Pontifex possit concedere exemptionem ab ordinaria jurisdictione c. 1. & ibi gloss. in V. exemptionis de privileg. lib. 6. c. 1. Frater, verju & cum operuisset. xv. q. 1. nulla quoque sit dubitatio, quin tenor dicti privilegij exemptionis, continens clausulam, Ex certa scientia, & præterea specialem & expressam novam concessionem exemptionis, ab omni modo jurisdictione ordinarij; planum est & apertum dicto Domino Officiali ordinariam jurisdictionem excenti, adversus citatos nullam competere jurisdictionem in hac causa.

Nec dici potest, quod usus huius privilegij dictis citatis & eorum Ecclesiis sit præceptus per hoc, quod Ecclesia Sancti Germani Theneosis amplius non sit de, seu sub Diocesi Leodiensi, sed per dismembrationem Episcopatus Leodiensis, & erectionem Archiepiscopatus Mechliniensis inclusa intra terminos diocesis Mechliniensis * nam huiusmodi dismembratio & alteratio sit, & facta intelligi debet, sine præiudicio privilegiorum antea competentium; illa enim, in dicta, dismembrata, & alteri diocesi subiecta Ecclesia, salva manent & perdurant, ut in his terminis expresso iure decisum est, c. Ad Apostolatus de concess. prebend. in Extravag. Joannis XXII. Et sunt hæc manifestiora, quam ut longa deductione comprobari debeant; cum idem in usu quotidiano observare liceat, in alijs omnibus Collegiis Ecclesijs, quæ Lovanii, Diesthemij, Leeuwis, Arschoti sunt, quæ itidem fuerunt olim Leodiensis, nunc vero Mechliniensis diocesis limitibus incluzæ sunt.

Cui tam aperte exemptioni nil derogat Concilij Tridentini locus, per Advocatum Actorum designatus, sess. 24. de reform. c. 11. Nam in illo, aut quocumque alio in eodem Concilio non conspicitur aliqua exemptionum prius rite concessarum revocatio, aut abolitio, sed tantum in usu quoad certas personas restrictio: quinimo pluribus locis ejusdem Concilij præsupponitur, in idem ap- probatur usus huiusmodi exemptionum, sess. 7. c. 8. & sess. 14. c. 4. ita ut quæ expressè revocata non inveniuntur, adhuc stare dici debeant, l. Sancti. mus. c. de testam. Nec quicquam obstat, quod per idem Concilium Tridentinum renovata, & in usum revocata sit Innocentij Quarti in Concilio Lugdunensi edita constitutio, di. cap. 1. de privi-

lib. 6; quæ caveatur, quod exempti, ratione delicti, live contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, possint eorum locorum Ordinarijs conveniri, si delictum commissum, aut contractus initus est extra locum exemptum. Nam ea constitutio, ejusque innovatio tam præcisa non est, quin per Sedem Apostolicam illi derogari possit; prout eidem in hoc, de quo agimus, privilegio derogatum esse reperitur; non per clausulas, sed per specialem & individuum derogationem, factâ expressâ mentione dictæ constitutionis Innocentij Quarti: cuius generis derogatio, ex sententia Joannis Andree, in d. c. 1. De privileg. lib. 6. in princ. quam alij omnes Interpretes approbant, Anchar. in d. c. 1. n. 2. & ibid. phil. Franc. nu. 1. Domin. Gemm. nu. 9. est omnino valida, & effectum atque usum exemptionis, latius porrigit, etiam ad eos casus, ubi delictum commissum, vel contractus initus, aut res, de qua agitur sita est extra locum exemptum; ut conceptis & formalibus verbis in hoc privilegio expressum est. Ita ut nihil curandum sit quod Actores allegant de non extendendo hoc privilegio ad casum præsentem, in quo agitur contra rapientes aliena, atque in valores & expilatores alienæ hereditatis: nam indeterminata dicti privilegij concessio, mentionem faciens de delicto & contractibus, ad ejusmodi generis delicta & contractus extendi debet, ex natura indeterminati sermonis, qui æquivalet universali, l. Si plurib. & ibi Bart. de legat. 2. & in l. Omnes populi de iustit. & iure, lo. Anar. c. Archidiacon. & Do. Gemm. in c. Ut circa, de elect. li. 6. cum nulla sit ratio cur privilegio locus non sit etiam in casu spolijs aut expilationis.

Nihil etiam prodest impetrantibus ea allegatio, quod hoc iudicium cæperit per arrestum bonorum sub laicis personis existentium: nam cum ea bona pertineant ad citatos, nihil aliud est huiusmodi arrestum, quam indirecta citatio eorum, quorum bona sunt; hi autem sunt in ea qualitate, ut nec directè vel indirectè conveniri possint coram ordinario Iudice virtute dicti privilegij exemptionis enim hæc & personas, & eorum bona respicit; quia personæ quodammodo coherent, ideoque eodem privilegio, quod personæ competit, frui debent, c. Ecclesiarum servos XII. q. 2. gloss. in c. fin. de vita & honest. clericor. vet. Rebuss. ad consuet. Reg. de literis obligat. art. 2. gloss. 1. nu. 106. Proinde arresta hodierna, quæ à jure communi recedunt, & regulariter prohibita sunt, nisi quatenus jure, consuetudine, vel privilegio appareat esse permilla, Carol. Molin. ad consuet. Paris. tit. 2. §. 52. nu. 2. nihil aliud sunt, quam oblique citationes, & in iustractiones; quæ ob id etiam relaxantur per comparitionem ejus, cuius bona sunt, & resolvuntur in simplicem citationem datâ saltem cautione de sistendo juri, l. Si fideiusor. §. fin. Qui satisfat. cog. Nic. Everar. cons. 102. Venerabili Domine. prout in hac causa factum est; in qua per satisfactionem citatorum speciali decreto relaxatum est hoc arrestum bonorum, manente adversus eosdem Rēos solo effectu citationis, qui propter prædictam exemptionem aliquis esse non potest; & ne quidem per satisfactionem de sistendo juri * Nam illa satisfactio non excludit facultatem allegandi privilegij aut declinandi forum; nisi huiusmodi

Pri-

privilegio expresse renunciatum sit, d. l. si fideiussor in fin. princ. ff. Qui satis. cog. cum & iudicio litat, qui comparet, & privilegium suum allegat l. si quis ex aliena de iudic. Unde etiam est, quod Venerabilis Dominus Officialis relaxando hoc arrestum sub hac cautione expresse adiecerit, de stando iuri coram eo iudice, qui huius causa index competens declarabitur: per quod decretum tolluntur omnes cavillationes, quæ de seriis proposita hac exceptione exemptionis & prorogata jurisdictione Venerabilis Domini Officialis proponuntur.

Sic concludentes, partes Venerabilis Domini Officialis esse, ut decernat se non esse causam & partium huiusmodi iudicem competentem.

De iudicijs & foro compet.

S V M M A R I V M.

Iurisdictio ordinaria quoad monachum exemptum.

1. Monachus ad curatum beneficium presentatus, an possit per Abbatem revocari sine consensu diocesis.
2. Iurisdictio incompententia continet insanabilem nullitatem.
3. Privilegiatus citatus comparere, & de privilegio excipere debet.
4. Clausula iustificatoria in precepto omittitur vitia preceptum.
5. Ordinarius non supplet negligentiam exemptorum.
6. Ordinarius potius ordinarius, quam delegatus potestate procedere presumitur.
7. Monachus servo ac filio fam. comparatur, & de iniuria non agit contra suum prelatum.
8. Servo inhumaniter tractato etiam adversus dominum succurritur.
9. Monachus a suo Prelato male tractatus apud quem conquiri possit.
10. Ordinarius exemptorum privilegia deferre debet.
11. Presentatus a Prelato regulari ad Ecclesiam parochialem non potest per eundem sine consensu Episcopi inde removersi.
12. Intellectus c. i. De Capell. monach. lib. 6.
13. Vicarij monachi non sunt perpetui.
14. Monacho beneficium perpetuo committi non debet.
15. Monacho facta provisio, non expresse, quod sit Monachus non valet.
16. Monachorum beneficia sunt manualia.
17. Monachus Ecclesie alicui prefectus non desinit esse obedientiarus.
18. Exempti multis modis gravantur ab Ordinarijs.
19. Statutum, ut non liceat Monachum ad suum Monasterium revocare, non valet.
20. Verba statutorum ad intellectum iuris communis trahenda.
21. Arresta & sequestra iuri communi repugnans.
22. Brachium faculare quando invocandum.

CONSILIVM LXV.

RIGOROSA admodum, & sine iuris ac praxis intellectu composita, nullitatique vizio obnoxia sunt iura arrestatoriales, inhibitoriales, tacite citatoriales, & brachij secularis invocatoriales, quæ sub nomine Re-

verendissimi D. Episcopi Namurcensis adversus Reverendum Dominum Abbatem & Monasterium Bonæ spei Ordinis Præmonstratensis duodecimæ mensis Augusti novissimè præteriti decretæ, expeditæ, & executioni mandatæ sunt; ob eam prætextam causam, quod idem Reverendus D. Abbas fratrem Augustinum Gaurensensem suum, dictique sui Monasterij Religiosum, Pastorem, seu Curatum parochialis Ecclesie de Corcelles Namurcensis diocesis, ex dicta parochiali Ecclesia ad suum Monasterium revocaverit, revocatum apprehendi, & carceri cum mala tractatione includi fecerit; ex ea causa, quod idem Frater Augustinus dicti Monasterij colonum quendam in ius coram Officiali Namurcensi ob denegatam seu dilatam solutionem ejusdem annui redditus, ei (ut pratenditur) ratione dictæ parochialis Ecclesie debiti, pertraxerit; quo ipso eadem literæ asserunt jurisdictionem dicti D. Episcopi multipliciter lædi. Quæ dictarum literarum vitia paucis detegendo, initiumque à nullitate faciendo, hoc in primis proponitur, * in nullam in quocumque Iudicis seu superioris precepto, vel alio actu judiciali, seu jurisdictionali, maiorem esse nullitatem, quam quæ ex defectu jurisdictionis causatur: quippe impune non paretor iudici non tantum qui extra suum territorium, sed & qui supra suam jurisdictionem ius dicit, l. ult. de iurisdict. om. iudic. l. non videtur. De. iud. laic. Sebast. Vantius de nullitat. tit. de nullit. ex defectu iurisdict. Unde quicquid ab incompetente iudice judicialiter vel extrajudicialiter statuitur, decernitur, mandatur, aut iudicatur, pro non acto est, l. x. C. si a. non compet. iud. nec quemquam constringit, l. ult. C. d. r. l. privatorum. C. de iurisdict. om. iud. Cum igitur per notoria privilegia Apostolica totus Ordo Canoniorum regularium Præmonstratensium in capite & membris, suisque bonis omnibus sit exemptus à jurisdictione ordinaria & immediate subiectus Sedi Apostolicæ, sequitur, quod ex ordinaria dicti Episcopi jurisdictione nihil adversus illum seu illa statui possit.

Et quamvis alijs Ordinarij Iudicis citatio adversus exemptum seu privilegiatum hoc saltem arctet citatum, ut comparere, & privilegium suum allegare debeat, & sic à necessitate ulterius comparendi iudicemque agnoscendi liberetur, l. si quis ex aliena de iudic. c. Cum persona De privil. lib. 6. coque id non faciente, acta per iudicem quamvis in specie incompetentem propter fundamentum generalis iurisdictionis, non sint ipso iure nulla, Casiren. in d. l. si quis ex aliena: non arctat tamen perinde aut constringit illum, cuius exemptio est notoria, & quam iudex nullâ probabilitate potest ignorare, laic. Ioan. Andr. in c. Scienti. De R. i. lib. 6. Qualis proculdubio est exemptio Ordini Præmonstratensi concessa; cuius ignorantiam neque R. mus Episcopus, neque eius Officialis in magno & longo usu prætereundere possunt. Cum alioqui res hic excedat terminos nudæ simplicisque citationis per ius iudicis ordinario permittæ (in quantum periculi aut incommodi non consistit) sed habet longiorem in iurisdictione progressum, per sequestrationem fructuum & reddituum dicti Reverendi D. Abbatis, & sui Monasterij, * idque adhuc nullâ iustificatoriâ clausulâ ipsidem literis